





M  
FEBRV ALIA

VETERVM

PAVCIS DELINEAT

---

ATQVE

AD

ORATIONES

PVBlice HABENDAS

OFFICIOSE

INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

---

FREIBERGAE,

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII

CXIV.

**M**emoria acerbissimorum cruciatuum et cruentae mortis, quam aeternus Dei Filius, Servator humano generi diuinitus datus, suscipuit, res ac spes nostras, quas primorum parentum culpa prostrauerat, rursus excitaturus atque redintegraturus, tanto maiori animi religione recoli merito debet, quanto plura et praestantiora beneficia obuerfantur, hoc ex fonte haurienda. Ipsi certe homines profani, uti alia multa, ita etiam expiationes et lustrationes sacras ex litterarum diuinitum monumentis suffurati, et veri Dei cultores admixtis plurimis superstitionibus aemulati esse videntur. Inprimis autem FEBRUALIA multis cum ceremoniis instituta legantur, quae Romani singulorum annorum mense ultimo, Februario, publice celebrabant. Non minus igitur praesenti tempori, quod contemplari et animo complecti diuinum illud piaculum nos iubet, quam mensi, in quo iam versamur, hoc argumentum adcommodatum existimamus, quod Februalia veterum consideranda exhibebit.

Expiationes autem, quas veteres ad placandos deos et auerruncanda mala suscipiebant, non solum sacras, sed etiam civiles fuisse, LIVIVS exemplo cinium Romae atque Labini probat, qui, Tatius rege occiso, quum nouo foedere conlocandi essent, denuo expiabantur; a) quod alio tempore repetitum esse, ubi Sannites cum Romanis in gratiam redire volebant, eodem auctore constat. b) Frequentiori vero usu expiationes sacrae ac religiosae receptae erant, quae etiam purgationes, lustrationes, et vetustissimo nomine *sebruationes* dicebantur. Hoc posterius nomen à *sebruando* deriuatur, quod, Varrone teste, c) in lingua Sabina cum purgando idem est, cum quo OVIDIVS consentit, d)

Februa Romani dixerunt *piacula* (i. piamina) *patres*; et patris interiectis, e) ostensurus, quem usum ea februa praesent, tollere ait

*Omne nefas omnemque mali purgamina caussam,*

imo suum ipsius exemplum adducit, suamque adfiduitatem in his sacris occupatam, ita canens: e)

*Saepe tuli plena februa casta manu.*

Ab his igitur Febris, vel piaculis mensem Februarium nomen traxisse, luscus etiam videbit. Si quis de ea re dubitet, is Ovidium audiat, de Febris exponentem: f)

*Mensis ab his dictus, secta quia pelle Luperci*

*Omne solum lustrant, idque piamen habent.*

Merito igitur fabula eorum exploditur, qui huic mensi nomen à consule quodam, qui Februarus nominabatur, impositum esse, nugantur, et eundem quidem ceteris mensibus breuiorem ideo factum esse, quod idem consul, rebus male gestis, urbe pullus et publica ignominia adfectus fuisset. g)

Ipsa

a) Liv. I. I. c. 14. b) L. IX. c. 15. c) de Lingu. Lat. L. 5. d) Fast. II, 20.

e) Fast. IV. 725.

f) Fast. II, 30. Io. Lomeier de lustr. gent. L. I.

g) I. H. K. Select. Obseruat. crit. et histor. (Lips. 1705. 8.) T. I p. 29.

Ipsa vero Februalia et omnis generis lustrationes à Græcis ad Romanos transiisse, aperte constat. Neque ipse Romanus poëta hoc dissimulat, canens: h)

*Graecia principium moris fuit, illa nocentes  
impia lustrator ponere facta putat:*

id quod exemplis Actori ac Pelei, Phoci atque Acasti, Aegei et Medusae, Alcmæonis atque Acheloi, passim decantatis, testatum facit. Quare omnino falluntur, qui Romanorum Februalia à Nasamonibus vel Augilis, Libyae populis, ortum duxisse, arbitratur. Quis enim sibi persuaserit, Romulum, et qui eum secutus est, Numam, religiosas ceremonias à gente non modo obscura, sed etiam ob contemptum Iovem infami, et a Romanis sub iugum missa, petiisse? Ita enim DIONYSIVS PERIEGETES i) illam describit:

*κεινον δ' αὖ περι χωρον ἐρημωθεντα μελαθρα  
ἀνδρων ἀθηρησικαις ἀποφθιμενων Νασαμωνων  
ἐς Διος ἐκ ἀλεγοντας ἀπαλεσεν Ἀυτοσις ἀρχμη.*

h. e. circa illam regionem videas deserta domicilia hominum intersectorum, Nasamonum, quos, Iovem non colentes, vis Romanorum prostravit. Rectius vero statuimus, Romulum, Remo fratre occiso, de diis expiandis serio cogitasse, et καθάρσια vel februationes Graecorum apud Romanos introduxisse. Accedebant fabulae de manibus occisi fratris passim oberrantibus, et monumentum aliquod publicum deposcentibus; quibus permotus Romulus, ut singulis annis Remuria, sedandis Remi manibus dicata, publice agitantur, edixit. Ita enim OVIDIVS: k)

*Ille memor veteris ritus, timidusque deorum  
Surgit, habent gemini vincula nulla pedes,  
Signaque dat, digitis medio cum pollice iunctis,  
Occurrat tacito ne leuis umbra sibi. etc.*

Quibus in verbis duae causae indicantur, quae Romulum ad haec sacra instituenda adduxerunt, nempe exemplum veterum Graecorum, et metus deorum atque numbrarum. Ita enim, qui ultra sacrificolorum fabellas non sapiebant, de homine sentiebant, ut animam corpus et umbram distinguerent, atque istam depositis corporis exuuiis in deorum confortium recipiendam, illud rogo ac terrae mandandum, hanc autem sedem apud inferos fortitam, docerent. Et de umbris quidem expressissima vestigia apud HOMERVM, l) HESIODVM, m) VIRGILIVM, n) PROPERTIVM, o) et alios prostant. Neque vero solos poëtas more sibi familiari haec finxisse, sed alios etiam scriptores fide dignos in eadem sententia fuisse, HERODIANVS, p) SALLVSTIVS Philosophus, q) et APVLEIVS r) testantur. Et quamvis sagaciores hanc superstitionem cachinno exciperent, et inter alios OVIDIVS s) manium et mortuorum apparitiones pro figmentis haberet, canens:

h) Ouid. Fast. II. 37.

i) in Orbis descript. v 208 sqq.

k) Fast. V. 431 sqq.

l) Odyss. XI.

m) Op. et D. 121. sqq.

n) Aen. V. 733.

o) L. IV.

Eleg. ad Cynth.

p) L. I. c. XI.

q) De deo et mundo, c. 18.

r) de

Deo Socrat. p. 90.

s) Fast. I. 551.

*Vix equidem credo: bustis exire feruntur  
et tacitas questi tempore noctis avi,  
perque vias urbis, latoque ululasse per agros  
deformes animas, vulgus inano ferunt.*

CICERO vero suam sententiam his verbis proderet: t) nolite putare, quem-  
admodum in fabulis saepe numero videtis, eos, qui aliquid impie scelerateque com-  
miserunt, Furiarum taedis ardentibus agitari et perterveri; sua quemque fraud  
et suus error maxime vexat, suum quemque scelus amentia adficit, et suae malas  
cogitationes conscientiam animi torquent; nihil tamen apud suos proficiebant, qui  
caeca superstitione semel inefcati vitam prius quam hanc sententiam eripi sibi pa-  
tiebantur. Hac igitur mente solemnium et anniversario februationis ritu manes  
placare, deos expiare, mala omnia corrigere, et publicam quietem tueri, omni  
studio homines profani contendebant. Ad quod officium, praeter causas iam  
indicatas singulari Numae Pompilii lege sese obstringi credebant, qui, LIVIO  
teste, u) non solum certos sacerdotum ordines instituerat, sed iis etiam ponti-  
ficem maximum praefecerat, qui in mandatis habebat, ut manes placandos po-  
pulum edoceret. Et quoniam illa aetate mensis Februarius totius anni extremus  
erat, quod NASO his verbis testatur, w) mensis, inquit,  
*qui sacer est inis manibus, inus erat:*

idem omnium convenientissimus ad haec sacra peragenda videbatur, qui propter  
ea etiam *lustralis* cognominabatur, quod tunc peccata et mala totius anni pur-  
gabantur. Diem vero, quo horum sacrorum initium fiebat, Februarii mensis  
decimum octavum fuisse, OVIDIVS docet: x)

*Nec tamen haec ultra, quam tot de mense supersint  
luciferi, quot habent carmina nostra pedes.*

Vndecim igitur diebus omnis februatio absoluenda erat, quam illi, penes quos  
summa imperii erat, auspicabantur. Hi enim ante templa Iovis atque Apollinis  
considebant, quibus praesto erant quindecim viri, his sacris peragendis destinati,  
qui februa cinibus distribuebant. Cuius rei testis est numus Domitiani, qui  
sedentem exhibet Imperatorem et februa populo porrigentem, his verbis adiectis:  
SVF. P. D. h. e. Superamenta populo data. Praeterea singularem deum, Fe-  
bruum dictum, huic negotio praeficiebant, quem Plutonem fuisse, MACROBIVS  
y) et GYRALDVVS z) suspicantur; ipsi autem dies his expiationibus sacri  
*Februalia* dicebantur.

Sed his missis, ab origine huius solemnitatis ad ea progredimur, quae  
ad ipsam lustrationem adhibebantur. Inter ea primo loco *lanas* oberlantur.  
His enim veteres religiosum pretium statuisse, eoque consilio nubentes iussisse,  
ut postes lana obductos tangerent, PLINIVS docet. a) Et has quidem lanas Pon-  
tifices a rege sacrorum et flamine diali petere oportebat, quod OVIDII testimo-  
nio confirmatur: b)

*Pon-*

d) Orat. pro Rosc. Am. c. 24.

568 y) Saturnal. l. 13.

Nat. Lib. XXIX. c. XI.

u) L. l. c. 20.

w) Fast. II, 82.

x) Fast. II,

z) de annis et mensibus Rom. p. 775.

a) Hist.

b) Fast. II, 21.

*Pontifices ab rege petunt et flamine lanas.*

Et procul dubio ex eadem lana februa illa licia fuerunt contexta, quibus pastor Alpheisboeus suam Amaryllida cingebat, sacra iam facturam, dicens: e)

*Licia circumdo triplici diversa coloro.*

Quam in sententiam ARTEMIDORVS, d) de coronis loquens, ita disputat: *ἡ τῶν ἐργῶν πεπομπῆνοι διὰ τὸ πικρὸν φαρμακείας καὶ καταδεικνύει σήμερον*, h. e. coronae, quae ex lanis factae sunt, propter varietatem et medicamenta praesstant et ligamenta. Eadem mente a VIRGILIO repraesentatur e)

- - - - - *flans hostia ad aram,*

*lanca dum nivea circumdatur infula vitta:*

et alio loco f) ab eodem templum commemoratur

*coniugis antiqui, miro quod honore colebat  
velleribus niveis et facta fronde revinctum.*

Ex quibus adparet, quam frequens lanae fuerit usus in sacris gentilium: id quod etiam PAVSANIAS testatur, g) de templo verba faciens, quod Agamedes et Trophonius erexerant, et addens, hos aditu homines prohibuisse, non obicis ullius oppositi, sed laneum tantum funiculum obtendisse, quod ei occulta vis inesset ad homines arcendos. Alterum, quod ad Februalia requirebatur, far erat, idque sale commixtum, cui eam ob causam molae salsae nomen adhaerebat. Nam iustum atque aequum veteres censebant, ut fruges, quas terra proferebat, etiam in telluris honorem sacrificarentur. h) Eas autem vel flamine torrebant, i) vel fabis permiscebant, k) vel, quod frequentissime fiebat, cum sale coniungebant. Deos enim, ante victimas institutas, hoc sacrificii genus probasse, poeta adfirmat; l)

*ante, deos homini quod conciliare valebat,*

*far erat, et puri lucida mica salis:*

et populus Romanus, ipsius Numae praeceptis adductus

*vina dabat, tepidis falsaque farra focis. m)*

Hoc illud est far pium et saliens mica, quae HORATIVVS commendat. n) Quem ritum, ut cetera februa, a Graecis ad Romanos transisse, ex NONNO intelligimus; n)

*διζυγες ἐνδοῦ καὶ ἐνδοῦ περιβύσσοντο κερταίαι*

*ἑλοχύταις. h. e. cornua duplicia hinc et inde mola salsa consperge-*

*bantur. Hoc sacrificium Jano ardebat, cui ferebant*

- - - *libum mixtaque farra sali: o)*

hoc Ceres probabat, nempe

- - - *farra et micas salientis honorem; p)*

maxime autem far ad februa requirebatur, et quidem ex domo Flaminis dialis persiciflorem adferendum, de quo OVIDIVS: q)

- - *capit*

e) Eclog. VIII, 74.

d) Onirocr. L. I. c. 29.

e) Georg. III, 488.

f) Aen.

IV, 178.

g) in Arc. L. VIII.

h) Ouid. Fast. I, 672.

i) Ouid.

Fast. II, 521.

k) l. c. VI, 170.

l) Fast. I, 337.

m) Fast. III, 284.

n) Dionys. L. V, 7.

o) Fast. I, 128.

p) Fast. IV, 409.

q) Fast. II, 24.

- - - capit licetor domibus purgamina certis.  
torrida cum mica farra vocantur idem.

de quo februo DIONYSIVS HALIC. r) et BRISSONIVS s) plura tradunt. Tertium, ex quo februa constabant, ramus erat vel virga sacra quadam ex arbore decerpta. Sic enim OVIDIVS; t)

Nomen idem ramo, qui caesus ab arbore pura  
casta sacerdotum tempora fronde tegit.

Quia vero plures arbores pro puris et sacris habebantur, aliae aliis etiam Numi-  
nibus, Ioui nimirum esculus et quercus, Apollini laurus, Mineruae olea, Veneri  
myrtus, Herculi populus, Cybelae pinus, etc. erant consecratae. Praeterea  
etiam taedas ardentem, cum sulphure et bitumine, Romani ad februationes ad-  
hibebant, exemplo Graecorum adducti. Hos enim tali modo sacra piacularia  
instituisse, HOMERVS testatur, Vlysem producens, his Euryculum verbis com-  
pellantem: u)

οἶτε θεοὶ, γρηυ, κακῶν ἀκος, οἶτε δὲ μοι πυρ,  
ὄφρα θεῶσιν μεγάρον, h. e. adfer sulphur, anis, remedium malorum,  
et adfer ignem, ut purgem domum. Idem LVCIANVS testatur, w) his verbis:  
ἐς γὰρ τὸν ἄγρον ἐλθὼν ἐκθεῖν, καὶ ἐπειπὼν ἱερὰ τινὰ ἐκ βιβλῆ παλαιῆς  
ὀνοματὰ ἔπτα, θεῶν καὶ δαδὶ καθαρῶν τὸν τοπὸν, καὶ περιελθὼν ἐς τρεῖς  
ἐξηλάσων, ὅσα ἢ ἐρπετὰ ἐντὸς τῶν ὄρων, h. e. quum in praedium abiisset, mane  
pronuntians sacra quaedam ex veteri libro septem nomina, sulphure et taeda locum  
ter circumitum lustravit, et, quot inerant, serpentes eiecit. Idem, ubi Menippum  
describit iter ad inferos meditantem, antequam eo descenderet, eum à Mithro-  
barzane mago purgatum esse, ait, quominus à spectris laederetur. En eius  
verba: x) περὶ μετὰς νυκτὸς ἐπὶ τὸν Τίγρητα ποταμὸν ἀγαγὼν, ἐκείθε τὸ  
μὲ, καὶ ἀπέμαζε, καὶ προήγαγε δαδὶ καὶ σκυλλῆ καὶ ἄλλοις πλείοσιν. h. e.  
sub mediam noctem me ad Tigrim fluvium deducens purum reddidit, deterfit et  
totum lustravit taeda, squilla, aliisque pluribus. Romanos autem eidem moti  
feruisse, constat testimonio IVVENALIS; y)

- - - cuperent lustrari, si qua darentur  
sulphura cum taedis:

itemque APVLEII, haec u trantis; z) nauem febrifaciam et picturis Aegyptio-  
rum variegatam summus sacerdos taeda lucida, ouo, et sulphure purificatam, Deae  
Isidi consecrauit.

His legitimis peractis, quum iam dii placati, larvae abactae, et manes  
expiati crederentur, qui haec sacra procurabant, cineres combustorum februorum  
supra caput retro iaciebant, fluuio tradendos. Et quidem hic ritus tam apud  
Graecos quam apud Romanos obtinebat. Hoc consilium Leucothea, dea marina,  
naufrago Vlyssi suppeditabat, ostensura, qua ratione Neptunus iratus placandus  
esset? a)

- ἔπην

r) L. I. c. 25. s) de form. L. I. c. 50. t) Fast. II. 25. u) Odyss. XXII. 481.  
w) in Philopseud. c. 12. x) T. I. Opp. p. 465. y) Sat. II. 155. z) Aelian.  
aur. l. XI. p. 1047. a) Homer. Odyss. V. 348. 699.



ἄψ ἀποδυσάμενος βάλεεν εἰς ὄνοστα πόντον  
πολλοὺν ἀπ' ἠπέρας, αὐτὸς δ' ἀπο ἰοσφί τραπέδῳ, h. e. postquam  
manibus litus contigeris, vestes exuens protice in mare longe à continente, tu autem  
te auerte. Eandem cerimoniam THEOCRITVS innuit, praecipiens: b)

ἦρι δὲ συλλεζέτα κοινὴ πυρός ἀμφὶ πολλῶν τῶν  
ῥιψατῶν ἐν μαλακῶν ὑπὲρ ποταμοῖσι φερετῶν  
ῥαγάδας εἰς πέτρας ὑπὲρ ἕριον, ἄψ δὲ νεοδῶν  
ἀσπρεπτός. h. e. mane ancilla omnes cineres ignis super flumen proiecito,  
et super fines praeruptae petrae, ipsa vero ne conuertatur. Et hac mente venefica  
apud VIRGILIVM animum Daphnidis incantationibus tentans, Amaryllida his  
verbis exhortatur: c)

ser cineres, Amarylli, foras, riuoque fluenti  
transque caput tace, nec respexeris.

More enim antiquitus receptum erat, ut februa vel purgamina oblata ad aquam  
deserrentur, et hac ratione ipsa februatio perficeretur. Confirmat hoc EVSTA-  
THIVS d) εἰς ἄλα λιμνατὰ ἐβαλλον δια το Φυσεῖ ρυπτικὸν εἶναι το τῆς θα-  
λάσσης ὕδαρ, h. e. in mare purgamina conticiebant; propterea, quod huic inest  
vis et natura abluendi. Adstipulatur TIBVLLVS: e)

quicquid triste timeamus,  
in pelagus rapidis auehit amnis aquis.

Suffragatur OVIDIVS: f)

haec est illa dies qua tu purgamina Vestae.  
Tibri, per Hetruscas in mare mittis aquas.

Concinit CLAVDIANVS, qui hunc expiationis ritum copiosis verbis ita describit: g)  
lustralem sic triste facem, cui lumen odorum  
sulphure caeruleo nigroque bitumine fumat, etc.

Quamvis autem publicae februationes sacrificiis non minus quam precibus illu-  
strarentur: aliae tamen aliis erant solemniores, eaque de causa aliae pluri-  
bus, aliae paucioribus cerimoniis agitabantur. Neque hoc praetermitten-  
dum videtur, non semper una eademque Numina in his feriis fuisse inuocata.  
Dii enim Aeuerrunci implorabantur, quum vel grauissima calamitas impenderet,  
vel scelus publice fuisset admissum, vel ostentum aliquod periculum portendere  
videretur. Et prius quidem, quam sacra illa susciperentur, haruspices, quid facto  
opus esset, confulebantur. Ita TACITVS memoriae prodidit, h) Neronem Im-  
peratorem, quum aedes Iouis et Mineruae fulmine caelitus deiecto tactae essent,  
haruspicum suafu Romam februando lustrasse. Fulgura vero singularibus sacri-  
ficiis expiabantur, quod animum Imperatoris Galbae fecisse, SVETONIVS refert; i)  
et ea, quae fulgure ambausta erant, solcite collecta magna cum religione terrae  
infodiebantur, quod LVCANVS exemplo probat: k)

Aruns dispersos fulminis ignes  
colligit, et terra moesto cum murmure condit.

Plu-

b) Idyll. XXXI.

c) Eclog. VIII, 101.

d) in I Iliad.

e) L. IV. El. 4.

f) Fast. VI, 713.

g) in VI Consul Honor. v. 325. sqq.

h) Annal. I, XI.

s. 24.

i) in Galb. c. 4.

k) Pharsal. I, 606. sq.

Pluribus vero cerimonis facta caedes februabatur, quod multis exemplis veterum annales confirmant. Inter alia ea solemnitas memoria est digna, qua mors violenta Abfyrti, fratris Medae, a Iasone interfecti, expiata fuit, et quam APOLLONIVS Rhodius l) copiosis verbis exponit: ex annalibus autem Romanorum haec pertinet historia M. Horatii, ob caedem sorotis februandi expiati. m)

His praemisissis, nunc ad illud progredimur, quod anslam huic scripturae subministravit. In eo nempe sunt duo iuvenes, quibus faulrix natura non minus docile ingenium impertivit, quam assidua diligentia et morum probitas optimam famam comparavit, ut, stadium laborum, quos schola exigit, emensi, in academiam se conferant, filum, quod non invita Minerua auspiciati sunt, pari contentione pertexturi. Ante vero quam officinam, in qua tirocinia posuerunt, relinquunt, a pietatis officio haud alienum arbitrantur, specimen doctrinae, quam collegerunt, in publico eorum confessu edere, quos schola nostra tam exoptatos litterarum elegantiorum fautores quam acquisitissimos rerum atque actionum aestimatores religiose veneratur. Alter igitur,

GVIL. FRIDER. SIGISM. TEVCHER,

Freiberg. Misn.

quem neque mors praematura utriusque parentis, neque temporum iniuria ab amore discendi abstraxit, oratione Latina demonstrabit, *temperamentum Principis insignem infuxum in animos civium habere*: simul vero memoriam anniversariam BENEFICII RICHTERIANI pio animo restaurabit, quod ex voluntate testatoris illis impertitur pro viatico, qui, rebus bene gestis, scholam cum acaademia permutare, animum induxerunt. Alter vero,

FRIDER. GOTTLÖB GAMPE,

Freib. Misn.

in quo Ascanio cari stat cura Parentis, neque immerito, siquidem ea contentione cursum institutum et urget et explet, ut nullis opus habeat calcaribus, et familiae suae honestissimae tantum decoris quantum solatii ominetur, argumentum a commilitone coeptum persequetur, sermone Francogallico disputaturus, *quodnam temperamentum Principi maxime conveniat ad tuendam nominis sui dignitatem?* Nemo non, opinor, subodorabitur, quod hanc materiam dicendi spes illa eximia suggererit, quam patria nostra ex praecleara animi indole in Serenissimo Saxoniae Electore exsplendescente, et captat et aptat, imo qua non minus gloriatur, quam sustentatur. Abituros religiosi votis, amicitiae et familiaritatis integerrimae tesseri ac testibus,

Io. Ludov. Müндler, Dresd.

prosequetur, quum antea carmine Theotisco *virtutem, tanquam viam expeditissimam ad veram felicitatem perveniendi*, ostenderit.

Vos igitur, qui studiis litterarum delectamini, PATRONI ac FAVTORES, etiam atque etiam rogamus, ut cras, hora ante meridiem nona, honestissimos conatus nostrorum oratorum benevole praesentia ornetis, et propensa audientia adiuvetis. P. P. Freibergae a. d. XIV. Febr. A. R. S.

MDCCCLXV.

l) Argonaut. l. IV. v. 700. 99.

m) Dion. Halic. Antiqu. Rom. l. III. p. 159.

Yb 627

ULB Halle

001 508 164

3



(811148)

TA → OL







F E B R V A L I A  
V E T E R V M  
P A V C I S D E L I N E A T

---

A T Q V E  
A D  
O R A T I O N E S  
P V B L I C E H A B E N D A S  
O F F I C I O S E  
I N V I T A T  
M . I O . G O T T L . B I D E R M A N N . R .

---

F R E I B E R G A E ,  
L i t t e r i s S A M . F R I D E R . B A R T H E L I I

CXIV.